

## PONTIFICAL BULLS

**Most Rev. Francisco F. Claver, S.J. D.D.**

PAULUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

dilecto filio FRANCISCO F. CLAVER, sodali Societatis Jesu, electo Episcopo titulo Nationensi atque Praelato Malaybalayensi, salutem et apostolicam benedictionem. Sacrorum Antistes, ad omne quidem opus bonum instructus — Cf. 2 Tim. 3,17—, cum esset praelaturae Malaybalayensi destinandus, Tu perquam idoneus Nobis visus es, dilecte fili, cui huiusmodi munus committeretur, populum Dei scilicet regendi atque per gratiam et sacramenta sanctum efficiendi. In Te enim non solum necessariae insunt animi ingenique dotes, verum etiam rerum hominumque usus haud parvus. Audita ideo sententia venerabilium fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium, qui Sacrae Congregationi pro Episcopis praesunt de summa Nostra potestate simul Te nominamus Praelatum Malaybalayensem simul Episcopum titulo *Nationensem*. Sedis nempe vacantis per translationem venerabilis fratris Alfredi W. Watson ad cathedralem Ecclesiam-Eriensem. Habebis, ut congruum, omnia iura et privilegia, officiis obligationibusque tenebris, quae tui ordinis sacrorum Praesulum propria sunt. Maiori autem commodo tuo studentes, permittimus ut consecrationem a quolibet Episcopo extra urbem Romanam accipias, cui duo assistant aequalis dignitatis viri consecratores, omnesque sint cum Apostolica hac Sede sincera caritate coniuncti. Antea tamen tuum erit rituales catholicae fidei professionem facere iusque iurandum iurare fidelitatis erga Nos et Successores Nostros, teste quovis Episcopo et ipso Romanam hanc Sedem sincera caritate colente, formulasque adhibitae ad Sacram Congregationem pro Episcopis mittere, de more signatas. Praecipimus insuper ut hae Litterae Nostrae clero atque populo in praelaticio templo legantur, die festo de praecepto; quos dilectos filios monemus ut et Te, libenti animo accipiant et Te debita reverentia colant, quorum animarum patrem et pastorem. Extremum, dilecte fili, hortamur, ut, ad tantam in Ecclesia dignitatem elatus, consideres etiam ad quae quantaque sis obeunda officia vocatus; ad eadem nempe atque Apostolorum Christi, in quorum collegium successorum es hodie cooptatus. Datum Romae, apud S. Petrum, die duo deciesimo mensis iunii, anno Domini millesimo non-gentesimo sexagesimo nono, Pontificatus Nostri sexto. — J. T. —

Aloisius Card. Traglia  
S.R.E. Cancellarius


Joannes Calleri, Proton. Apost.  
Josephus Massimi, Proton. Apost.  
In Canc. Ap.Tab. vol. CXXXII N. 31

Franciscus Tinnello  
Apostolicam Cancellariam Regens

Expedita die 1 Aug. a. Pontif. VII.  
M. Orsini Plumbator

## PAULUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM. Ut commodis frequentissimi Cagayanae archidioecesis populi quam maxime consuleretur, censuit venerabilis frater Jacobus Thomas Gibbons Hayes, eiusdem Sedis sacer Praesul, post auditum videlicet Coetum Episcoporum Insularum Philippinarum, esse territorium suae ditionis dividendum novamque ibi locorum ecclesiasticam circumscriptionem constituendam. Quod cum ut fieret ab Apostolica Sede ille petierit, cumque opportunum Nobis visum sit, de sententia venerabilis fratris Carmeli Rocco, Archiepiscopi titulo Justinianopolitani in Galatia et in Republica Insularum Philippinarum Apostolici Nuntii, iisdem praecibus accedendum, sequentia decernimus ac iubemus. Ab Archidiocesi Cagayana integrum territorium separamus civilis provinciae vulgo Bukidnon, quod complectitur vicariatibus Sanctae Thereseiae a Jesu Infante, Sancti Joseph et Sacri Cordis Jesu, eoque novam praelaturam condimus, *Malaibataiensem* appellandam iisdemque circumscribendam finibus ac civilis provincia, quam diximus. Eam metropolitanam Sedi Cagayanae suffraganeam facimus, cum iuribus nempe obligationibusque quae Codex Juris Canonici describit, itemque eius Antistes metropolitano eiusdem archidioecesis Praesulis iuri. Constitutae praelaturae sedes in urbe vulgo Malaybalay erit, magisterii vero cathedra in curiali templo in eadem urbe exstante, Deo dicato in honorem Sancti Isidori Opificis, cui quidem honores et privilegia tribuimus praelatici templi. Mensam quam dicunt constituent Curiae emolumenta, fidelium sponte oblatae pecuniae atque bonorum pars quae Malaibalaiensi praelaturae obvenient ad normam canonis 1500 Codicis Juris Canonici. Quod autem attinet ad Seminarii constitutionem alumnorumque educationem serventur praescripta iuris communis in primisque normae decreti — Optatam totius — Concilii Vaticani II, atque peculiare leges Sacrae Congregationis pro Institutione Catholica. Cuius Seminarii alumni illi, qui animi simulque ingenii dotibus praestent, Romam mittantur, in Seminarium Pontificium Philippinum, philosophicis theologicisque disciplinis imbuendi. Simul ac haec quae praescripsimus ad effectum adducta fuerint, eo ipso sacerdotes Ecclesiae illi addicantur in quo beneficium vel officium habeant, ceteri vero clerici Seminarii tirones ei, in qua legitimo domicilio degant. Acta praeterea et documenta novam Sedem respicientia a Cagayana Curia ad Malaibalaiensem transferantur, in tabulario religiose custodienda. Haec quae decrevimus ad effectum adducat venerabilis frater Carmelus Rocco, quem diximus, vel ab eo delegatus sacerdos. Qui vero negotium perfecit, congrua documenta exaranda curet ad Sacramque Congregationem pro Episcopis quam primus mittat, de more signata sigilloque impressa. Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit



**MOST REV. ANTONIO NEPOMUCENO, O.M.I., D.D.**  
**Titular Bishop of Castello of Tingizio**  
**and Auxiliary Prelate of Cotabato**

fides, quae huic haberetur, si ostenderetur. Datum Romae, apud S. Petrum, die quinto et vicesimo mensis aprilis, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo nono, Pontificatus Nostri sexto. — J. T. —

Aloisius Card. Traglia  
S.R.E. Cancellarius

Carolus Card. Confalonieri  
S. Congr. pro Episcopis  
Praefectus

Franciscus Tinello  
Apostolicam Cancellariam Regens

† Josephus Rossi, Epis. Palmyren.  
Proton. Apost.  
Joannes Calleri, Proton. Apost.  
In Can. Ap. Tab. Vol. CXXXI N. 71

Expedita die XIX Maii, anno Pontif. VI  
Marius Orsini Plumbator

## Most Rev. Antonio Nepomuceno, O.M.I., D.D.

PAULUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI

dilecto Filio ANTONINO NEPOMUCENO, adhuc curioni parociae Ecclesiae praelatiae Cotabatensis, electo Episcopo titulo Castellano Tingitii eidemque renuntiato Auxiliari Praelati Cotabatensis, salutem et apostolicam benedictionem. Aequum sane est, quotiescumque sacri Pastores ob multiplicatos pastoralis ministerii labores atque sollicitudines congruo egeant auxilio, eosdem sollertibus instruere sociis, quibuscum aptius populi respondeant necessitatibus, caritatis opera prospicient, sanctaeque Ecclesiae easdem foveant fecunditatem. Qua de re, cum venerabilis Frater Gerardus Mongeau, Episcopus titulo Dianensis et Praelatus Cotabatensis, adiutore viro opus habeat, Te, dilecte fili, illi iungere censuimus, certa spe ducti Te, qui eximis animi ingenique dotibus Nobis commendaris, Nostram esse expectationem uberrime expleturum. De sententia ideo venerabilium Fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium qui Sacrae Congregationi pro Episcopis praesunt, deque suprema Nostra potestate, Te simul nominamus Auxiliarem Praelati Cotabatensis quem diximus, simul Episcopum elegimus Sedis titulo *Castellanae Tingitii*, quae vacans facta est post lacrimabilem exitum Augustini Rodriguez bo. me. Habebis igitur sive iura et honores, sive onera et obligationes, quae ab episcopali dignitati atque ab Auxiliaris munere proficiscuntur. Volentes